UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologiae Mysticae Sive Exercitiorum Spiritualium Admodum Reverendi Patris P. Aloysii Siderei, Alias Vincentii Caraffa, Societatis Iesv Praepositi Generali, Tomvs ...

ex Italico Latino recenter idiomate opera et studio fidelissimi cuiusdam interpretis donatus

Peregrinvs terræ. Fascicvlvs Myrrhæ Siue Considerationes Variæ Super Plagas Et Vulnera Christi D.N. Itinerarium. Seraphinus. Civis coeli

Caraffa, Vincenzo

Coloniae Agrippinae, 1660

Petitio Animæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-49469

Visual Library

CONSIDERATIO XXVI.

AMOR DEI,

Petitio Animæ.

U*Nam petij à Domino, hanc requiram.* Pſal. 26. Gratia Divini amoris ſola ſufficit ad quietem cordi. Magnes movetur ſemper; at cùm reſpicit polum, ibi quieſcit. Sic anima noſtra inquieta circumibit eſuriens, famelica, vaga, per creaturas mundi: ſed ſi aſſequatur amorem Dei, en ibi ſubitò pax & quies: non aliud petit, non aliud deſiderat; ſed dicit: *Inveni quem diligit anima mea: tenui eum, nec dimittam.* Cant. 3. Circumivi multum, atque diſcurri per varias regiones, ut invenirem meum amorem: inveni tandem: jam illum tenebo, ne diſcedat: ſentio magnam quietem, & pacem.

Da mihi, *Domine, ſentire per affectum, quod ſentio per intellectum.* S. Aug. O quàm longa eſt via cognitionis, & quàm compendioſa & brevis via amoris! Fac, Domine, ne celer intellectus præcurrat, ac lentè ſequatur piger affectus: quod teneo cognoſcendo, ut etiam complectar amando. O Amor, ô ſancte Amor, Divine Amor, ubi es? ubi moraris? ubi habitas? Heu me miſerum! quis credat? Es exul à terra; mundus te non novit; non eſt ibi, qui te æſtimet.

O mundani, quantùm aberratis cæci à via? quid quæritis? quid petitis? quid deſideratis? Una eſt veſtra petitio, Velle gaudere: conſequi pacem, gaudium, conſolationem. Sed non videtis vos aberrare à via: non reperitur gaudio, quàm in Deo; Aperite oſtium cordis ſancto, & divino amori: & invenietis, quod vultis: & *gaudium veſtrum nemo tollet à vobis*: non habebit finem, ſed in æternum durabit.